



Biblioteka Jagiellońska
stdr0010445

OCCASVS
in AURORA
SEV
MORS PRÆMATVRA
PERILLVSTRIS DOMINI
D. FRANCISCI CAROLI
in Czereia
SAPIEHA,
Thesauraridæ Magni & Notaridæ
M. D. L.
RETOVIENSIS &c CAPITANEI,
Inter lugubres funeris cerimonias
Panegyrica Comploratione
ADVMBRATA
à
SAPIEHANO
Collegio Brestensi Soc: IESU.

Annò ab Increati Solis exortu M. DC. LXXX.
Vilnæ Typis Academicis Soc. IESV.

Rndo Patri in Xto Pri Ignatio Zapolski Soc: JESU cum humillimis obsequijs et debitâ submissione Indignus in Xto Servus

IN AVITUM
INSIGNE ILLUSTRISSIMÆ DOMUS

SAPIEHANÆ

C

F S



T N

M D

L C

R

In Cœlos rectâ contendit cuspide Telum,
Crux inter Ceras quod geminata notat:
Sors alijs metam trabeatos ponat Honores,
FRANCISCI TELO Meta sit ipse polus.



Ad ILLUSTRISSIMUM D.
D. BENEDICTVM PAVLVM
in Czereia

SAPIEHA,

MAGNUM THESAURARIUM
NEC NON NOTARIUM M. D. L.
ROSŁAVIENSEM, RETOVIENSEM, OLKIENI
CENSEM, ZYDEKANENSEM &c. &c.
CAPITANEUM.

QVem nuper inter tristem feralis pompæ apparatū domo elatū luxeras Filiū, in Paternos sinus reducē accipe, Illustrissime Domine. Vitā illi Fatorū injuria rapere potuit; necdum tamen à Te dividitur, adeóque à

 mor.

morte etiam Tibi adhærere amat. Ni-
mirum, Patritiũ illum ſplendorem, quẽ
cum ſangvine ſimul FRANCISCVS
traxerat, feraliter occidens, in idem iu-
bar refundit: vel certè matutinâ nocte
decolorem AVRORAM Tibi advol-
vit, ut Illuſtriſſimo Tuo nomine, ab
Umbris vindicetur: quæ licet in fata-
les deſijt tenebras, oblivionis tamen ca-
liginem effugiet, ſi tanti ſereni vicini-
am nanciſcatur. In æternitate non de-
ſituræ vitæ ſua virtꝰ FRANCISCUM inau-
guravit: in pagina quoq; poſteritati vi-
cturus, á quo vitam olim hauſerat, glo-
riæ lucem auſpicatur. Contra Tui dolo-
ris pertinaciam, nemo melius pugnare
poterat, eo, qui in palpebram ereptum
Filium ingeſſiſſet. Expedi igitur am-
plexus Pater, & luctuoſæ orbitatis ſen-
ſum in animo oblitera: huius Tibi aſpe-
ctum officioſa pagina indulgebit. Quod-
ſi dolor, (quo nihil apud afflictos po-
tentius eſt) tali ſolatio irritatur potiùs,
plagamq; trahit animus, unde remedi-
um

um expectabat ex mente Stoici, in pri-
mævâ prolẽ Illuſtrẽ MICHAELEM
SAPIEHA animũ conijce: hoc inco-
lumi, conqueri de Fortuna minimè po-
teris, quæ ſic in altero natorum ſævi-
tiam conſumpſit, ut in alterũ nihil cru-
dele diu moliatur. Acquieſce, (quod
ille ait) alterius Filij dignitate, alterius
otio, utriuſq; pietate. Superſtes, quam,
diu incolumem nobis videre contin-
gat, Illuſtris ſoboles, exundátes abſter-
gat lacrymas: cuius, ad maxima quæuis,
Tuo, SAPIEHANOq; more exporre-
ctam indolem, cum animadverto; pol-
liceri Tibi Illuſtriſſime Domine meritò
poſſum, altero Filiorum amiſſo, nihil
præter numerum defuturum. Fruſtra
dolori intabeſcas, cùm cœlo prolem
partitus es. Tantus videlicet fueras, ut
felicitatis Patriam, omnibus numeris
perfectiſſimam, auctiorem de Tuo red-
dere potueris. Fuerit hæc Pænorum
Ducis gloria, novennem filium A ris ad-
moviſſe. Tu octennem FRANCISCUM

 Aſtris

Astris addidisti: tantò, Annibale fortunatiorem futurum, quòd præclara istius sangvinis virtutisque trophæa, nulla Campania labefactare possit, cum illius ad egregia præfervidam indolem, Capuæ luxus infregisset. Age Illustrissime Domine vinci a Te liberalis æther neq; vult, neq; poterit; adeóq; non ambige, nobile hoc, quo hodie cœlum auctius est, munus; ab eodem Tibi cum fœnore refundendum. Ita vovet

Tuo honori devotissimum.

Collegium Brestense

Societatis IESU

PARENTALES LACHRYMÆ.

QUantùm efferata Fatorum contra mortale genus atrocitas, aut nocere nobis vellet, aut obesse posset, in vobis documentum accepimus MAGNI MANES. Neq; enim ambiguum est, Majori clade Magni Ducatûs orbem affici unquam potuisse, quàm cùm gemmantem FRANCISCI SAPIEHA pueritiam busto mors intulit. Semper quidē Magnorum funera triste lacrymarum sequitur diluvium; planéq; nunquam grandes animæ occidunt, quin diuturna plorandi Materies nobis exoriatur: nullibi tamen uberiùs decurrit dolor, quàm, ubi ingentis spei nepotibus parentatur, quorum crescendi terminos, mortuali saxo, præcipitata mors consignavit. Et ut ingenuè fatear, immeritò lacrymas impendi eorum funeri existimo, qui ad singulos prope gradus deficiendo, remedium anhelantis senij, fata præstolantur. imo, mori illis quædam requies est, quæ fessum annis curisq; animum sopiat, & diu multumq; iactatam vitæ onerariam, in portum aliquando exponat. Quid enim mirùm, si grauis annorum mole senecta, ad extrema deducitur? cùm & ipsa in tumulum vergens ætas sepulchrum deposcat, quæ effætum virium languorem, simul ac canis induit, busti effecit Candidatum. Illud terrarum iacturā non mediocriter amplificat

ficat

ficat, cùm robusto adolescentiæ vigori formidanda mortalitatis iura præcocem admovent interitum, ut cunas sepulchro socient, & in numerum mortuorum abeant, quando primum nascentium syllabum vix auxêre. Æternum itaq; nobis impositum esse plorandi tributum sentimus; cùm exiguam FRANCISCI SAPIEHA vitæ usuram, irreparabili damno, in fænus immortalitati cessisse intuemur. Æternum & fatis piaculum adhæsit, cùm vitæ illius primordia busto includunt, pueritiâ brevibus annorum intervallis circumscriptâ, quæ à teneris iam inde Magnis ausibus initiata, vivendi expetebat plus ultra. Equidem tanta clades lacrymas universo Litvano orbi excivit, primo tamen titulo ad Illustrissimam SAPIEHARUM Domum pertinet, cui exoriens sidus, vel ipsi Zodiaco invidiam pariturum, umbratico fatorum occasu obrutum, & videmus, & deploramus. Libet tam invidioso nomine primos FRANCISCI annos virtutisq; exorientia studia appellare: certè, quod ætatem contingit, in Laticlavij Litvani omen, à præsaga Fortuna effusus, grandiorem Honoris ominabatur diem, famam, illustri radio accensurus, nisi præcipitata Mortis nox, caliginem sibi offudisset. Virtus insuper, Phosphori nomen iure merito sibi adlegit, quæ FRANCISCO, probitatis facem intra ipsa cunabula, excitare visa est, cùm à primis annis tantam ad recti studium proclivitatem infuderat, ut in Majora pietatis incendia, credi potuerit exarsura. Noctem itaq; in Auroram fatum transtulit, cum scintillantem virtutem ætatemq; extinxit, nocte illata, ubi congruus Orienti locus esset,

Sepiam effunde calame.
non alius color decet
Perillustris FRANCISCI SAPIEHA
Capitanei Retoviensis &c.
luctuosum obitum.
Optimè MAGNI NEPOTIS funera
atramenti exarantur fuligine.
Ut ab illius obitu pagina atrata incedat
Pullata, ad Mærorem
Cùm Illustri bullæ inferias agit.
Nisi fortè, penna etiam, lacrymis immergi amet,
quibus, suffusi stagnant oculi.
Genuinus hic Magni Doloris stylus est,
cum palpebras in fletum eliquaveris,
etiam paginam, hoc rore tingere.
Nimirum,
Facilè in chartam exundat doloris procella,
cum lacrymarum fluctibus oculos immersit.
Si solis occasum irrigua deplorat tempestas,
cælo in pluviam resoluto,
Cùm siderum Principem tenebræ involvunt:
et Nostræ AVRORÆ eclipsim,
oculorum imber comitetur.
Majora hîc lucis dispendia numeramus,
quia nunquam compensanda.
Liberaliter igitur effundere in paginam Dolor,
Decet luctûs tenacitatem odisse,
Cùm præmatura fata, plorandi suppeditant
argumentum.
Nullibi turpior lacrymarum parsimonia est,
quàm, ubi vitæ nostræ prodiga Mors extitit.
Si quando plorandi vis per palpebras exhauritur,
Hîc, oculorum fluenta, nunquam exarescant:
adeoquè
Finem ille dolor nesciat,
quo vitæ initijs parentatur.
Clades hæc non plebeija est,
quam ex meritò nunquam deploras,
Quamvis Thebarum ostia, profluentibus lacrymis, reserâsti.
FRANCISCUS SAPIEHA.
Illustrissimorum Parentum Filius,
Magnorum Ducum Nepos
Illorum gesta, egregijs moribus expressurus,
in ipso vitæ apparatu, vitâ destituitur:
Tantam iacturam, ne totus quidē eluat oceanus lacrymarū;
Affundent huic tumulo lacrymas posteri,
Totq; huiꝰ funeris præficas, quot homines, posteritas nũerabit.

Non

Non enim alia Parentalia meruit ille,
qui æternitatem meritis adepturus,
Præcisas in prima herba Spes, intulit Monumento.

PRimas igitur diras, fatalis hic Tuus occasus meruit FRANCISCE, quòd Tibi Patritium invidit splendorē, inducijs nec tantillum datis, donec Illustrium gestorum magnitudine, in orbis palpebra, Heroum Te prolem fuisse comprobares. Non enim popularis gloriæ fastigio Illustrissimus Majorum sanguis Te initiaverat, sed primas intra cunas, cùm infantilibus fascijs, maximos Fasces fortuna illigâsset, laticlavio Te genuerat, quòd emeritos humeros Tibi induisset olim, si ad trabeam nato, adolescere per fata licuisset. Sed quia variantis sortis exemplo, egregia illa indoles, pueritiæ metas non excessit, nec ultra spei terminos magnum animum eluctari mors permisit, sterilem hanc iacturam, immortalibus Majorum Tuorum meritis vocalis fama, apud posteros excusabit. Ingeret hæc in Nepotum, pupillam, capacissimæ mentis indolisq; Ducem, Litvanum Herculem, Avum Tuum PAULUM SAPIEHA; quem in nostra memoria emori non sinet rapta Moschoviæ vita, quam, violatæ pacis vindex acerrimus, ultore gladio multavit, quando in suam cladem fertilis, redintegratâ acie, plures illi barbari Martis manipulos objecisset. Vos testor (quibus hostilium tumulorum numerus aspectum eripuit) Brestenses campi. Obtexerat vos latè viris armisq; vesanus furor, & in suam necem armata dementia: ut esset nimirum, unde olim, & Brestæ aggeres, & SAPIEHANO honori trophæa surgerent. Cessit impar PAVLO æmulo Moschovitica Ales, nec in SAPIEHANI acinacis splendorem (quamvis erudire ad soles pupillam Aquilæ creduntur) involare potuit, quin in palpebra vindicem sensisset radium, terræq, latibula quærere coacta sit, medelam tanto vulneri, a tumulorum umbris petitura. Et meritò, ab illa clade fuliginem pennis indueret, nisi iam olim, candorem exosa barbaries, in ceras colorem hunc admisisset. Planè sui funeris augur, quòd infaustis; id est nigris auibus, in arenam esset descensura. Quodsi et ā Taurum objecerat, ut triumphalibus armis terrorem incuteret: etiam hic in vulnera patuit, sensitq; invictam Herculis nostri clavam, & SAPIEHANAM virtutem, de genu cadens adoravit. Ita te fama canat, victure in fastis, æternitatis vir in omnem demerendæ Patriæ occasionem intentissime, quàm hostilium funerum pleni aggeres vitam pluribus hodieq; inspirant, cum emortuum boni publici studium Tuo exemplo in plerisq; excitant. atq; adeo nullus Brestæ campis insistet, quem non Tuæ virtutis admiratio rapiat, quatenus exanimi horum cadaverum ruinâ fortitudinis quodam sensu animetur. Ingeret & alterum ævi sui Curium, cuius emeritam in toga & sago virtutem Palatina adornat trabea (si non ornatior ab eo evadit, quem felicem comperit magnus honor) IOANNEM TARŁO Palatinum Sandomiriensem. Superi, qualis hic quantusq; nitor! Cœlum etiam in illius conspiravit decorem, dum in Palatinas Ceras influxit. Non, quod lucis dispendia Illustrissima hæc Domus aliquando sentiret, sed ut cælo dignas animi dotes, his astris rependeret, adeoq; lucem luci adderet. Nisi quòd post Pylij senectam, meritis gravem ætatem, his stellis æther sibi despondit. Certè hic noctis comitatus, nihil tenebrarum in Palatinas ædes invexit, in quibus nihil reperias, quod non solis radios æmuletur. Age Domus Illustrissima. immortale Tuo nomini trophæum, perenne FRANCISCO SAPIEHA mausolæum, Gentilitiâ exstrue ASCIA, & præcipitatum AVRORÆ Nostræ occasū, tergemino, Patriciarum (quas cum Materno traxit sanguine) stellarum ordine, vindica. Tua tamen ante omnes

mnes gloria, ab oblivione FRANCISCUM eximet, in gignente ver Nomine, ad æternitatis felicitatem inaugurate, Heros belli artibus, pacisq; industriâ longè clarissime, M. D. L. Magne Thesaurarie, BENEDICTE SAPIEHA. Qualis Tu Paternæ virtutis heres esses, nuper ad Chocimum in Poloni Litvaniq; orbis palpebrâ demonstrâsti: ubi SAPIEHANÆ virtutis non vulgaria documenta, cum Illustrissimo Fratrum ternione exhibens, orbem edocuisti, quòd Paterna dexteritas, (extra profanas, Romæ superstitiones, halitum exspirantium Patrum, ore circumfusorum nepotum excipientis) Vobis perenniter inhæsisset. Eclipsim passa est Thracica Luna, cum inter Lechicorum Procerum lumina, vestræ quoq; purpuræ nitor, sidus barbarum perstrinxisset. Stolidam Philippi vesaniam irrident veteres fasti, quòd sagittarias phalanges contra solem instruxerit, & pharetratâ procellâ diem extinguere voluerit: Vestram famam loquetur æternitas; qui GENTILITIAM SAGITTAM, in triste illud funestumq; iubar, ad cuius exortum regnorum felicitas occidit, O thomanicam inquam Lunam, feliciori Marte direxistis, quæ depressis iam cornibus minor, cum, Invictissimo Poloniarum Regi IOANNI III. pedibus affusa, nobilem ad Regale solium attollit gradum, etiam Vestræ gloriæ arcum erigit triumphalem. Vectigalis Tuæ famæ fortuna videri poterat, nisi domestici sideris occasum post barbaræ Lunæ tenebras intendisset, FRANCISCI caput tantâ pro clade reposcens. Sed quo ego ab orationis fluminibus ad nobiles sanguinis rivos deflexi? tempera dignis majore cothurno laudibus inordinate dolor. itane vim dicendi à clade SAPIEHANA ad clavam: à parentali rogo ad Maritales tædas, à morte ad Martem transtulisti? nimirum magnitudinem iacturæ non facilè conjecisset orbis, nisi horum magnitudini comparatam,

quos

quos illustribus gestis FRANCISCUS æquasset olim, nisi speratæ fortunæ cursum, festinata mortalitatis iura vetuissent. Non sterile illius gloriæ argumentum est, tanta Majorum felicitas. Transfusum hoc ab Avis nomen, pulchram in posterorum memoria famæ illius imprimet venustatem: non enim irrita in tantis natalibus latebant gestorum præsagia; nec dubito pulchritudinem tanti nominis meritis olim impleturum fuisse, sed quia impar spei fortuna primos vitæ ausus destituit, sic etiam hereditario iure ad Parentum gloriam pertinebit. Vel certè, grandia hæc nomina in paginam retuli, quatenus humili aliàs Eloquentiæ, à tanta Trabearum celsitudine, majestas quædam accederet: ut, quam sua defecit venustas, à pulchro nominum fædere eam sortiretur. Nisi quod fumosæ hæ Majorum imagines, funeri optimè conveniunt, quas Parentali FRANCISCI rogo antiquo more circumposui, ut funebrem pompam in cineres abeunti corpori instruerent, cùm præfica paginâ, æternitate continuandum luctum modulatur.

Quisquamne credit? luteus Hesperi
Infausta vidit lumina Phosphorus
Primasq; gemmantis diei
Noctiferâ temerâsse stellâ.
Sors visa cunas? Cymmerijs gravem
Oram tenebris squalidus intulit
Æther aprico, & solis igni
Occiduo sociavit ortum?
Portenta narro. qualia ferculis
Instructa quondam mensa Thyestijs
Patravit; igne diminutum
Cùm medio iubar axe retro
Titan reduxit. dum Pater oblitus

Rictus

Rictus suomet sanguine, duceret
Crateras undantes, necatâ &
Prole famam relevaret arctam.
Sed nulla metro fabula deroget
Fidem. minori lumine vespera
Extinxit ortum, SAPIEHANÆ
Cum tragicam Libitina noctem-
-Offudit iuventæ. Prima pueritiæ
Eos, Avorum tincta nitoribus,
Astrisq; Laticlaviorum
Aucta, Tuas pudefecit ostro
FRANCISCE Cunas. VEIERIÆ Domûs
Et KOPCIORUM Lumina purpuræ
Et lana CZARTORISCIORUM
Sidonio mage tincta fuco,
Illas serenat. Murice rorida
Fovere natum vellera, fascias
Dedêre Fasces, & tenellæ est
Iussa vices obijsse bullæ
Conchyte pavit quam Tyrium toga.
Quando perenni fædere connubî,
Intexta, grande SAPIEHANIS
ASCIA TARŁONIANA iunxit
Decus SAGITTIS. Hoc trabeæ iubar
Honoris olim non humilem Tibi
Spondebat augem, Mortuales
Nî tragici nebulæ sepulchri
(Majora natæ perdere sidera)
Noctem intulissent ante meridiem.
Mallentq; fata tristè Eoas
Hesperijs radiare flammas.
Illustre, quod iam lucis eges rogi
FRANCISCE. (manet lacryma) Littavæ
Sidus

Sidus tiaræ, fer dicata
Ad socios pia vota Manes.
I sidus alto, sic precor ultimùm,
Præceps olympo: quæ rapuit diem,
Perennis ad sudum sereni
Te vehat hæc brevis umbra fati.

Siste querelam Pagina.
Felicitatis omen ex funere hoc colligendum est.
certè enim
FRANCISCI accessit laudibus,
quod nostræ decessit spei.
Immaturum fatum, fortunam illi maturavit.
Brevioris vitæ impendio
perennem mercatus est gloriam:
adeoq; in solem immortalitatis ivit, cùm sibi mortale iubar
occidisset.
Alijs gloria sit diu vivere: æternitatem meruisse
FRANCISCO SAPIEHA
laus est maxima.
Malè in cujuspiam elogia annorum census computantur.
Hæc maxima Panegyris est,
cùm diu non possis, Bene vivere.
Et verò
Injurius in cœlum est, qui solas deformis senectæ rugas,
illi venustatis Patriæ admovet.
Amant Elysij campi vireta pueritiæ Floribus vernare.
Imò, novæ voluptatis sensus Aulæ illi ingeritur,
cùm liberalem iuventæ formam,
inter suos ephebos excipit.
Manum à FRANCISCI raptu Æther non abstinuit?
Amat iuvenum rapinas cœlum
quod, Ganymedis furta, ad huiusmodi ausus
initiârunt.
Nec brevioris vitæ probrum morienti oppone:
quia nec in sole meritò carpseris,
Post horarum aliquot moras, ad occasum inclinari.
Is mihi ultra Pylij senium vitam produxit

quis-

quisquis eousq; vixit,
ut æternitati in spolium cedere potuisset.
Macte animo FRANCISCE,
Alios ad fastidium usquè, vitæ Olympia fatigant;
Tu brevibus annorum moris illa confecisti:
cœlum in prima pueritia meritus,
Quod alij per sæculorum tædia vix attingunt.
Festina in Fata ætas
Brevissimam sui usuram Tibi indulsit:
quia magna æternitatis stadia molienti, maturè incæpto opus
esse noverat.
Difficile ad superos iter est,
à vivida iuventa faciliùs superatur,
in quo anhela senectus non rarò subsistere vel invita cogitur.
Æternitatis fastigio par,
Terreni Honoris apices terere perosus es;
satis habens eousq; vitam produxisse,
ubi perenne honoris culmen
& meritorum limitem, & vitæ imponit coronidem.
Ita enim vero est.

FRustra fatis succensemus mortales, quòd ante canos & rugas FRANCISCUM SAPIEHA rapuerint; quia hæc, non sæcula sed virtutem computant, quam æternitati inferant: falcemq; adeo mittunt, ubi adulta iam virtus ferrum expetit; aliàs detrimenti non minimum cœlo factura, nisi messem maturarent. Idem nimirum humano generi, quod optimo hortorum decori malis, ingenium est, ut aliqui in primo adolescentiæ vere; alij provectiore senectutis hyeme, ad maturitatem perveniant; aliquos neq; hoc gelu excoquat, quin acorem cruditatemq; gemmantibus plantis propriam, retineant. Neq; tamen idcirco stomachum gerimus, aut præcocis celeritatis Alcinoū insimulamus, quòd quasdā arbores non adulto autumno fructibus viduet; quia hi, etsi ante aliorum, non tamen ante suam maturitatem detrahuntur. Ultimum autem tempus

pus ex mente illius non expectant, quæ in primo maturuerunt. Neque mihi senectutem quisquam condiat, aut exangues canos commendet; certè enim nemini unquam in gloriæ censum diuturna evasit ætas, nemini anni in laudum vices abjêre. Minimum ego Panegyris argumentum esse reor, quod ab ætate desumitur, & nescio, an ejusmodi à prolixa ætate ducta encomia in humani elogij partem meritò usurpentur, unde etiam Pharij marmoris crusta, & sæculis duraturi silices, poterant commendari. Aliàs, cedri longæva diuturnitas, tot Heroum gloriam superabit; quia hanc, contra senectæ cariem natura duravit, cui vel maxima hominum virtus obnoxia est. præsertim, quòd plerisq; per tractos diuturniùs annos, non minùs de virium robore, quàm de virtutis vigore decedit, quorum famæ consuluisset olim natura, si fata primis fascijs involvisset, ut cum puerilibus crepundijs exitium raperent, neq; è primis annis enatarent, qui cum prætexta, honestatis probitatisq; amorem videbantur exuturi. Quem metum quanquam mihi eximebat Tua FRANCISCE ad summum virtutis apicem pulchro nisu itura indoles: iniurius nihilominus in Te audirem, si Nestoris senectam (quam immortalitate dignior expectare permissus non es) ereptam Tibi lugerem: aut maturatum vitæ finem dicerem, quæ, cum apparere major aut non posset, aut non egeret, in æternitatem meritò vergit: ipsâ virtutis auctoritate immortalitatem Tibi comparante. Differant fata, quibus facta propagandi necessitas incumbit; donec auctior meritorum apparatus, eorum funeri numerosiorem pompam instruat. Tua virtus FRANCISCE, iam extra crescendi limites posita, recte factorum satis computat, quòd æternitatem, (cui uni decrepita laborat ætas) ante rugas merueris: tantò rebus humanis altior, quantò remotior à mortalis gloriæ incrementis. Non populare Tuæ magnitudinis argumentum

mentum mihi est, festinus hic è vivis excessus; si enim assentiente illo, summo humanæ felicitatis fastigio admotus esse creditur, cui diu stare negatum est: eripiente se, & ex oculis auferente perfecta virtute, cùm ad summa iã pervenit: Te ultra per vulgatas magnorum ideas luctuosus hic provehit obitus, adeòq; ad quoddam virtutis culmen Te evexit, quæ non desituræ intenta æternitati, infra conatus metas celsitudinem omnem reputat, nisi unico gradu, cœlorum viciniam contingat. Itaq; inter catenatas infortuniorum series deficientis vitæ reliquias trahunt veriùs aliqui quam ducunt, antequam ad canos deductæ ætatis stipendium sibi exsolvatur: Tu illud nondum depositâ bullâ recepisti fortunatissimus, quòd Tuæ probitatis præmio nulla mora interijcitur, cùm plerisq; rectè factorũ mercedem æternitatis ærarium serò nonnisi refundat. Nimirum piaculo non caruisset æther, si insolitæ Tuæ virtuti honorarium eiusmodi differre voluisset, aut si moras tantisper traheret quousq; nobilis Athleta, stadio anhelus, coronam raperes, quam, vixdum inito cursu meruisti. Noveras videlicet quantùm ex securitate decerpat lenta ad æternitatem semita, & languida fatorum cunctatio: cùm non minùs periculis diuturna vita, quàm longa navigatio obnoxia sit, ubi sæpenumero iactatæ diu multùmq; onerariæ, scopulis allisæ intereunt. Hinc exiguam Vitæ Tuæ celocem in æternitatis portum subduxisti, Palinuri cuiusvis gloriam prætergressus, quòd procellarum victor, ibi celeusma cecineris, ubi alij periclitari incipiunt. Plane cœlo non mundo natus fueras, quòd, & ipsa probioris Vitæ initia, & non facilè obviæ generosi animi dotes, quas non parco influxu in Te natura effuderat, cœlo Te iam olim subharraverant. Illa senilis & ultra annos matura prudentia, ad cuius leges vitam sic castigabas, ut in ea puerile nihil, quantumvis centoculus Momus reperisset; orbe hoc, meritissimo

Claudian. Seneca.

tissimo levitatis theatro majorem Indolem demonstrabat. Morum, quæ etiam in vultum suaviter amænum emicabat (ut ferè rarò mentis profundiora arcana tegimus, quæ, hic animi index, etiam invitis quandoq; nobis non prodat) innocentia, cæli candidatum Te effecerat. Quid ille promptissimus in superos animus? fallor, nisi æternitatem Tibi quovis argumento liquidiùs adstruebat. Pervigilem Tibi toties reddideras auroram, quâ molliore plumâ relicta, cælo preces fudisse non rarò visus fueras; scilicet, orationis lumina etiam dubiâ luce eminent, nec cæcutire pietas solet unquam, quantumvis sub obscuro crepusculo cœlitibus supplex fiat. Dicerem Te matutinis tenebris ad cœli insidias usum fuisse, quibus semper inhians, nec per tenebras quidem, pietatis arietem desinebas admovere: nisi Tu pro hereditario tantis virtutibus cœlo, excubias tunc agere maluisses, cum dispersas per cœlum vigilias, vicinum solis iubar extingueret submoveretq;. Ergo, superstitiosa antiquitas, in favillam abeunte Principũ cadavere, Aquilam è Pyra emittat, quæ cremandorum manes in cœlum referat: (quasi tam facilis cœlorum semita esset, ut eò aliquis famulâ alitis plumâ evaderet:) Tu, non popularium virtutum pennis in astra evolas, ipsâ Te provehente pietate, quo suos Cæsares, Roma, Aquilarum pernicitate inferri voluit. Quanquam & Gentilitia SAGITTA, quam Tuis FRANCISCE ceris æther infixerat, cœlo te inferet: nobile hoc, & per sidera ire assuetum Telum, cum stylum in äërem dirigit, novam superis Giganto-Machiam minitatur, nisi pervium Tibi reddant Olympum. Et verò cœlum hi Tibi vltro repandunt: nam

FAllor, an äëriam pennâ tollente sub aulam
Præcipiti feror ire volatu?

Linquo solum, terrasq; meo, montesq; lacusq?
Despicio sub calce relictos.
O inhibe cursum! quid me sub sidera tollis?
Non nostri est hic roboris ausus,
Fictilis heu memini Ceræ, & me rudera nuper
Dædalij pupugêre Nepotis!
Penna tenax sed adurget iter iam proximus astris
Ereptas non cerno novales;
Sola sed occurrit radiantis scena theatri,
Et vultus derivat Olympum.
Quàm multo micat igne polus! quæ flamma renidet
Cœlorum diffusa per ora!
Languentes hîc cerno pyras, dum pervigil, orbem
Illustrat majore sereno
Astrorum cœliq; decus sol. tetrica noctis
Excubias quibus imperat hora!
Contemplor pallentem Hecaten, cui cornua, dives
Auravit sine fæce metallum!
Fixit in objecto variantia lumina Fratre
Cum quo orbis divisit habenas!
Quales septeno volvuntur cardine gyri
Ignitos rapiuntq; Planetas!
Quis teres ille globus sacratis pervius astris,
Obliquo secat orbe coluros?
Quàm benè distinguit longos hic signifer annos!
O circumdata fascia mundo!
O trames, per quem deducunt esseda, vincti
Aurato temone jugales!
Quàm per bissenas oculos facis ire figuras,
Invisa novitate stupentes!
Hîc auro sparsus locupletis velera tergi
Infelix stat portitor Helles;
Nascentis solitus fovisse crepundia veris


Afflatu

Afflatu leviore Favonî.
Hîc spolium Alcidæ Nemees frondentis alumnus
Flammifero violentior æstu!
Retrogradumq; iubar, Piscesq; & Taurus, aquosum
Cuî cornu desudat in imbres.
Et, quæ morte Patris terras pertæsa virago est,
Invisas hinc despicit urbes.
Tyndaridæ, recreat vestri me pignus amoris,
Et iustæ duo pondera Libræ.
Hiccine spumantem Ganymedes fusus in urnam
Nascentis princeps iubar anni?
Tune refers pigras mundo Capricorne pruinas?
Divûm collactanea proles?
Scorpion advertens, miror, quòd repere quondam
In cœlum potuêre venena!
Quem figis Centaure? cui Tuus imminet arcus?
Tincta, petunt quem, spicula, virus?
Nequidquam duros pepulisti in cornua nervos
Herculeæ haud iuvêre sagittæ.
Centicipis monstri quas pavit noxia tabes.
Nam cælis excesse iuberis.
Fallor enim, vel supremi motoris Olympi
Lapsa meas vox venit ad aures,
Trude senex nervo pennatas trude sagittas
Signum acris brumale Nouembris.
Arcitenente Polus siquidem meliore fruetur,
Quem cælo dat Littavus orbis.
Tela SAPIEHARUM Ceris impressa Patritis
Succedant Chironis honori.
En iam felices FRANCISCUS inaugurat annos
Iam volucri subit astra SAGITTA.
Ista refers meritò celerati præmia fati
Digne puer graviore Senectâ.

E2 Ossu

Offudit Libitina Tuam famamq; perennem,
Et vitam feralibus umbris;
Sed novus Atlantis sphæræ superadderis hospes,
Noxq; tibi parit ipsa Phanetem.
Tu sol, cum tereti gyrando lampade terras
Divertes hoc lætus ad astrum
Cursum siste diu, neq; cætera visere signa
Accelera properante quadrigâ.

RELiquum, est, ut in cæli zonam relato FRANCISCI SAPIEHA animo, fata, dotesq; posthumæ ætati locuturum, in quo extincti nominis fama vivere perennareq; possit, assurgat marmor. Pharium igitur lapidem, (innocentiæ enim parentamus,) huc Phidia. cui nullâ temporum injuriâ eradendas, nullo vetustatis dente corrodendas Notas ubi incideris posteritati relinques monumentum.



Bre-

BRevibus momentis summa perennare
ex hac urnâ disce Posteritas
FRANCISCUS SAPIEHA
Capitaneus Retoviensis &c.
Annos virtute superans,
senili gravitate supra ætatem maturus,
Vivere desijt, cùm vivere incepisset.
Diceres æternitati natum fuisse,
quam, Adolescens admodum auspicatur,
Hilaratâ æstivis solibus cæli fronte, nostram tristitiæ nubes obduxêre,
& sereni ætheris risus, in nostras lacrymas desiêrunt.
Heu insalubres Sirij ferias!
Calidior mensis, dum in nocivos ardores effervescit,
Tantam spem in herba arefecit!
Augustus, cladis huius reus est,
iniustus omino mensis,
Quantumvis ab æquitatis signo Bilance, non procul abscedat.
Benè tamen
Agoni Tuo, Augustum delegisti FRANCISCE.
Quàm Augustè semper vixeris,
Hic vltimus vitæ Tuæ mensis, exhibuit.
Neq; enim, qui magnificè vivit ac Tu, aliter, ac Tu, mori potest.
Cœlo iam maturus
Non alio tempore melius cecidisses,
quàm, quo adultæ segetes, falcibus cedunt.
Cum missionem à literis accepisses
Vacaturus Deo, in cœlum properâsti.
hoc nimirum erat otium benè ponere,
Et post Lycei laborem, in æternitate respirare.
In cœli Capitolium ne solitarius incederet victor incendiorum
LAVRENTIUS
innocentem FRANCISCI comitatum sibi adlegit.
Deperit eiusmodi societatem Martyr, quam cœlum amat.
Ergo Tumulos tectura Cupressus, a funere hoc procul exulet, quod Laureis æther insignivit

Et

Et vero, non alio igne Parentalem FRANCISCI
rogum arsisse
congruum erat,
quàm, qui ex LAVRENTII pyra desumeretur.
Nitent quidem etiam inter Fatalem noctem
FRANCISCI Manes:
quia & sol in occasu clarus est;
Sed suis flammis clarius illos LAVRENTIVS illustravit,
Si olim hominibus laurus appicta
Deorum amicitiæ tessera credebatur:
Numini Te carum fuisse FRANCISCE
LAVRENTIVS edocebit.
FAVSTINVS insuper tenellæ animæ exuvias accepit
scilicet corporis hoc spolium,
post numerosos Moschoviæ acervos,
FAVSTINO debebatur.
Olim SAPIEHANVS mucro, hostium cadaveribus
Divum hunc, ad terrorem vallaverat:
Hunc suum illi tumulum FRANCISCVS affundit
ad honorem.
Ne quid fortasse non faustum evenisse FRANCISCO in
morte crederet.
Mausolæum sibi FAVSTINVS obtulit;
Tumulus hic pulchra alit omina.
Expositos in sylva gemellos Vrbis Conditores
Faustulus Romanis Fascibus & orbis imperio servaverat;
Perill: FRANCISCVM SAPIEHA,
Perenniori æternitatis Tæniæ
FAVSTINVS admovebit.
Orbi tamen lacrymas idem obitus excivit;
& à nobis querelam extorsit,
qui, nulli in vita querelæ obnoxium FRANCISCUM
præmaturè raptum queri cogimur,
& deflere.



APOSTROPHE
Ad PERILLUSTREM DOMINUM
D. MICHAELEM
in Czereia
SAPIEHA
THESAURARIDAM NEC NON NOTARIDAM
M. D. L. CAPITANEUM ROSŁAWIENSEM, &c.
DEFUNCTI FRANCISCI FRATREM.

AT Tu, quem parili (Ceris auctura serenum)
Effudit Lucina sinu; quem grandibus ipso
Nomine, SIDEREI DUX BELLI destinat ausis
Fatorum ne nosce minas: sed mæsta per ævum
Incolumis repara Fraterni funera busti.
Illius Te lustra petunt: Tu sæcula rapti
Longævus diuturna refer: (nam iure vetusto
Ereptos Fratri succedes Frater in annos)
Tu spes illusas, Tu grandia damna relictus
Afflictæ relevare domûs, ex asse PATERNÆ
Virtutis, Famæq; Heres: Tibi cessit Honores
Patritias Tibi cessit opes FRANCISCUS; & illum
Ordine nascendi quem primos cernere soles
Non tulit invitus, mortis præcessit ad umbras.
Exanimi spira vivus pro Castore Pollux,
Nec, nisi grandævam busto compone senectam.



